Quelle: http://manuscripta.at/?ID=9001
Copyright: Melk, Benediktinerstift

44.

Leupoldus marchio cognomento pius extitit fundator duorum monasteriorum Nevnburch et sancte crucis in austria. Tertium vero a progenitoribus suis Medlich nomine libertati donavit. Ceterum in cella sancte marie quod tamen ipse non fundavit, sed habito suorum consilio hesitantes fundatores prevenit et oratorium in suo iure fundavit. Iste Leupoldus marchio duxit uxorem agnetem nomine filiam hainrici imperatoris IIII per quam habuit XVIII pueros. Quorum VII tempore infancie de medio sublati sunt. Undecim vero qui superviverunt VI videlicet filii et V filie ad honores temporales rerum non modicos omnes promoti sunt. Primogenitus adalbertus qui factus est advocatus omnium claustrorum ad advocaciam marchionis pertinencium. Qui postquam obiit sepultus est cum patre et matre in claustro nevnburgensi. Secundus hainricus qui et diucius omnibus vixit et a patre minus diligebatur. Hic monasterio sancte crucis ab abbate hainrico inchoatum in edificio pro maiori parte viventi edificavit. Dedit eciam sancte cruci villam que dicitur Minchendorf. Iste hainricus dictus est dux austrie nam ante erant marchiones. Extitit et fundator monasterii sancte marie virginis scotorum wienne genuitque duos filios. Leupoldum qui successit patri in ducatu et hainricum fratrem eius qui postea dictus est hainricus dux de medlico. Qui supradictus hainricus postquam obiit sepultus est in monasterio scotorum in wienne quod ipse fundavit. Tercius Leupoldus qui factus est dux bawarie de ditque druinarie et talarn. Qui cum cognovisset se moriturum nobiles secum manentes adiuravit ut ipsum mortuum in austriam reducerent ad sanctam crucem ibique sepelirent quod et factum est. Quartus Ernest qui et sepultus est in sancta cruce. Quintus Otto qui profecit in egregium clericum qui factus est in Mormunden monachus cum XV qui secum venerant electissimi clericis; venerat enim a studio parisiensi. Deinde ad instanciam ottonis peticione Leupoldus marchio pater suus cepit fundare sanctam crucem. Hic factus est postea episcopus frisingensis. Qui cum visitaret domum mormundensem mortuus est. Illic habet sepulturam in eodem loco. Sextus chunradus qui factus est episcopus pataviensis deinde Salzpurgensis et in cenobio agmuntensi sepultus. Primogenita filiarum fuit plyta quam dux hainricus ... ratisponensis. Secunda Agnes quam accepit polezlaus dux de polan. Tercia gerdrudis que copulata est lazlao duci bohemie. Quarta Elizabet. Hanc accepit hermannus ... de ... Quinta Judita quam duxit nobilis ... marchio de monte pherrato. Mortuisque omnibus filiis fundatoris sancte crucis Leupoldus filius hainrici ducis suscepit ducatum. Iste Leupoldus fuit primus qui possedit stiriam cum austria dictusque est dux austrie et stirie. Erat enim valde virtuosus dilexitque viros religiosos. Sed heu lapsus de equo fractoque crure apparuit vesica venenosa in crure unde amputato crure in ducatu habitu monachi dixit: utinam cum mea scapula contingat me pascere oves sancte crucis. Hic habuit duos filios Fridericum et Leupoldum fratrem eius. Qui postquam obiit sepultus est in sancta cruce. Mortuo patre primogenitus hic est Fridericus suscepit ducatum. Hic erat valde virtuosus. Qui mortuus sine liberis sepultus in sancta cruce. Deinde Leupoldus frater eius factus est dux austrie et stirie. Iste Leupoldus extitit fundator campililiorum qui postquam obiit sepultus in campililiorum. Hic habuit IIII filios et IIII filias. Primus leupoldus qui vivente patre cum frequentaret scolas Nevnburch mortuus est et sepultus in eodem loco. Secundus hainricus qui non habuit filios sed unicam filiam. Demum mortuus est et sepultus in Nevnburch. Tercius Fridericus hic patre mortuo suscepit ducatum. Factus est et dominus carniole. Erat enim animosus nimis et probissimus miles. Qui dux exercitum contra belam regem ungarie victoque exercitu bele regis ungarie ac in fugam omnibus cum rege versis eadem die interfectus est dux Fridericus et sepultus in sancta cruce. Quo mortuo non erat dux in austria et stiria. Ortaque sunt mala in austria et stiria innumerabilia. Filia vero hainrici ducis Gerdrudis contraxit cum ... filio regis bohemie qui brevi mortuus est sine liberis. Predicta vero Gerdrudis filia ducis hainrici duxit alium maritum hermannum nobilem virum marchionem de Paden genuitque filium nomine Fridericum et filiam. Qui hermannus brevi mortuus sepultusque Nevnburch in claustro. Quo mortuo non erat dux in austria et stiria. Item Gerdrudis filia ducis hainrici duxit maritum nomine romanum regem Ruscie qui postquam genuit filiam ... est ... suam nec ultra videt eam. Regina margareta et uxor regis hainrici qui fuit filius imperatoris Friderici reversa est in austriam; erat enim soror ducis Friderici. Que contraxit cum Otakero filio regis bohemie. Qui potenter obtinuit austriam et stiriam. Sed cum videret quod filios non posset procreare ipsam repudiavit. Austriam vero et stiriam potenti manu tenuit et neptem Bele regis ungarie in uxorem duxit.

Nycolaus II. ann. II. m. VI. d. XXV.

Alexander ann. XI.

Gregorius qui et hildibrandus n. rom. ex p. bonico ann. XII. m. I. dies V.

Victor m. IIII. dies VII.

Urbanus ann. XI. m. V. d. XVIII.

Paschalis ann. XVIII. m. V. d. XVIII.

Gelasius ann. I. dies V.

Kalixtus ann. V. m. X. dies XIII.

Honorius II ann. VIII

Innocencius sedit ann. XIII.